

Arcticæ horulæ succisivæ, *Arcticæ horulæ succisivæ, adhibet:*

**DE LATINOCAR-**  
**NIOLANA LITERATURA, AD**  
**LATINÆ LINGVÆ ANALOGIAM**  
accommodata, Vnde Moschoviticæ, Rutenicæ,  
Polonicæ, Boëmicæ & Lusaticæ lingvæ, cum  
Dalmatica & Croatica cognatio,  
facile deprehenditur.

*PRAEMITTUNTUR HIS OMNI-*  
*bis, tabellæ aliquot, Cyrilicam & Glagoliti-*  
*cam, & in his Rutenicam & Moscho-*  
*viticam Orthographiam*  
*continentes,*

**ADAMI BOHORIZH.**

II  
45

**ΚΡΗΜΛ: ΔΙ·ΚΑΠ:**  
**ВСАКА ЯЗЫКЪ СПОЗНАТН ХОУЩЕ БОГА.**  
**Πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ.**

Vfaki jesik bode Boga sposnal.  
Omnis lingua confitebitur Deo.


πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ.

**VVITEBERGÆ**  
**ANNO M. D. LXXXIIII.**



A R M A

CARINTHIAE. STIRIAE, CARNIOLAE.



AD ILLVSTRIVM  
STYRIÆ, CARINTHIAE ET  
Carniolæ procerum filios; vniversam  
Equestris ordinis ingenuam  
iuuentutem,

*Prefatiuncula.*

**D**LVRES NOVISSE LINGVAS ET  
iucundum est, & utile, addo & per necessarium  
esse, in confesso est. Nam quid magis libe-  
rale ingenium delectare potest, quam vel suam  
vel alterius, sive loquentis sive scribentis ani-  
mum, decenti sermone, (qui index est animi,) & commodo  
orationis genere, vel explicare vel explicatum, quasi coram  
contucri? Quid verò fructuosius est, quam de Deo, de Iure,  
deq; natura rerum vel differentes vel conscripta, de illis re-  
bus monumenta intelligere, thesaurumq; in eis reconditum,  
depromptum atq; enolutum, cum opus est, sibi usurpare re-  
ctè posse? Deniq; quid est, quo homines minus carere que-  
unt, quam dictarum rerum, per linguas, cognitione: Cum, neq;  
Ecclesiæ Doctrina, neq; ulla politia, neq; privata neq; publi-  
ca studia, tueri conservariq; sine harum adminiculo queant.  
Taceo quòd qui linguarum necessariorum ignorantia labo-  
rant, & quando illis necessitas dicendi imponitur, ignari, quid  
dictum sit, tum quomodo respondere debeant, Scriptiarum  
ranarum instar obmutescere, turpissimeq; sese dare sepe co-  
gantur. In quam sententiam cum non pauca eruditissima ex-  
tent scripta, adeo, ut si quid amplius præterea in medium pro-  
ferre quis conctur, actum ille agere suamq; inopiam potius



P R A E F A T I O .

quam copiam prodere, merito videri possit. Quamobrem, & quia omnino aliquid hic, mihi commemorandum est, carptim & in genere saltem, de linguarum præcipuo usu seu ultimo fine: Hinc (id quod mei propositi est) de Slavonica, mihi vernacula lingua. Demum de libelli huius ratione, breviter, proq; mea tenuitate annotabo. Et de vero usu linguarum luculentissima est Divi Pauli sententia, quam ipse in Epistola ad Romanos ex ISAIA Propheta recitat, sic inq;uens. **OMNIS LINGVA CONFITEBITUR DEO.** Quibus verbis amplissimam Doctrinam & dulcissimam consolationem, tum etiam verum usum linguarum, nobis proponit Divus Paulus. Nam principio planum facit, semper fore aliquem cœtum piorum, linguarum subsidio, rectè agnoscens tium & colentium Deum. Deinde etiam innuit manifestè, non desiturum mundum hunc, nisi apud omnes, omnium gentium populos, innotescat prius voluntas Dei. Quæ profecto res unica est, quæ piæ mentes (ut furenter adversum Ecclesiam Christi agant, mundus & Satanus), sese in omnibus huius vitæ ærumnis sustinere possunt, cum certò sibi polliceri ex verbo Dei possunt, fore aliquando finem malorum, atq; certò securam liberationem piorum: & tum quidem fore proximam atq; ut ita dicam, præforibus, quando nimirum futura est confessio Dei in omnibus linguis. Verus autem usus linguarum cœpit unà cum primis, generis humani auctoribus, Adamo & Heva. Poterant enim primi parentes, in illa integritate & nulla adhuc labe peccati infecti, rectè confiteri Deum. Nam voluntas & cor atq; reliquæ vires animæ omnes ita obsequundabantur, rectè adhuc iudicanti, rationi, ut & facillè & perfectione summa confiteri & celebrare Deum possent: Et præstitissent eam quidem in omnem æterni-

PRAEFATIO.

*eternitatem, summaq; cum animi alacritate, nisi astu satanae circumventi, & illius tam sancti status pertasi, satanaq; callidum mendacium, Dei praescripto praetulissent, proq; integritate corruptionem & ruinam in anima & corpore passi, illam tantam felicitatem adeoq; illam praedulcem harmoniam laudandi Deum, iusto Dei iudicio, amisissent atq; sese ipsos cum tota posteritate, in perpetuum exitium praecipitassent. Privati enim tum, illis tantis donis, languidius a lapsu omnia egerunt. Intellectus siquidem, etsi omnibus reliquis animae viribus integrior fuit reliquus, tamen in rebus Divinis, obtusè caecus factus, in reliquis verò (iurantibus eum quomodocunq; primis illis principijs, ex quibus extractae sunt, & etiamnum extruuntur humanae artes omnes, sapientiae, seu rectius Philosophiae voce comprehensae) parum aliquid videt. Deinde voluntas humana perpetuò sese opponit voluntati Dei. Cor ipsum flagrat odio Dei. Inferiores vires, quae vulgato nomine locomotivae, appellantur, segnius omnia agunt. Proinde quoq; eum finem (in tanta discrasia) ad quem initio conditus fuit homo, suis sic disturbatis atq; disiectis viribus, assequi, Deumq;, ut deberet, celebrare atq; confiteri amplius non potuit. Quare abjiciendus erat homo cum omni sua posteritate, in perpetuum. Verum, hanc miseram humani generis sortem videns, Benignissimus ille caelestis pater, non passus est, ipsum hominem & ita cum homine, gloriam suam penitus interire. Quare cum filio suo unico sibiq; coaeterno, & Spiritu sancto, tota nimirum trinitas, mirandum, de rursus reparando genere humano, & restauranda celebratione Dei, inijt consilium: Editq; decretum, ut Filius, secunda Divinitatis persona, ineffabili modo, sibi certo tempore, uniret humanitatem, atq; ita redi-*

P R A E F A T I O .

meret in pristinum statum restitueret genus humanum, Quocirca inter Deum, ut justum iudicem, interq; miserum, atq; damnatum hominem constituitur Filius Dei mediator. Promissio gratiae, propter filium, mulieris semen, promulgatur. Eam gratiam per fidem primi parentes sibi semper usurparunt. Spiritus quoq; sanctus per verbum promissum, subinde, etiam post lapsum, in credentibus, aliqua Deo grata officia & laudes, linguarum, (vocali verbo) subsidio, excitavit, coetumq; aliquem, propagatione illius promissae gratiae, omnibus temporibus collegit: Idq; uno & simplici, utpote à Deo profecto genere sermonis. Quod etiam unicum & perspicuum genus dicendi, in Ecclesia Dei prioribus & multis seculis, & sine literis, sineq; certa literatura, usurpatum & ita conseruatū fuisse consentaneum est. Nam cum prioris aevi patres essent μαχησιώτεροι, facile colligitur, per manus accepta promissione gratiae, usu illius unius linguae sineq; adminiculo ullius literaturae, subinde sese mutuum levasse, & ad posteros identidem promissionem illam, de venturo semine mulieris, propagasse. Quod reliquum & tam excelens bonum, unius videlicet & communis cum Deo ipso, usus linguae, post illa tot & tanta amissa Dei dona, ut erat maximum, ita rursus dolendum & deplorandum est, propter petulantiam hominum, & vitam illis, (ut ita dicam) abbreviatam, & in aedificatione Turris Babilonicae, confusio- nem linguarum, justam nimirum poenam divinam, subsequutam, ex una pura & simplici, plures easque infinitas, fastas, atq; ita unius illius primae & sanctae linguae puritatem, apud plerosq; posteros amissam, verumq; cultum Dei multis partibus, non modò impeditum fuisse, sed totum serè inter-



5  
P R A E F A T I O.

intercidisse. Et quamquam, varietatem illam linguarum, meritam fuisse poenam fatendum est: tamen rursus in hoc clementia est agnoscenda divina, inter illas per uniuersum orbem, diuersasq; eius partes, hominum frequentes migrationes: illam tamen primam & sanctam linguam, non fuisse vel extinctam vel depravatam: Sed quamquam in incertis seculis & etiam sine libris & sine certa forma scribendi in populo Dei, integram conservatam fuisse, Donec tandem Deus, ad diu iam & ante multa secula promissam terram, populum suum, Mose Duce, ductans, in monte Sinaj, Decalogum, digito suo praescribens, Mosen, ceu Magister Discipulum & per totos quadraginta dies, de certo literature genere erudiens, per Mosen, & pentateuchum conscribi & certa lingua, nimirum prima illa & omnium antiquissima, sanctissimaq; à Deo sanctissimo profecta, posteris consecraret. Tum demum cogitata animi, exemplo Dei, qui primus & Adami, & post etiam Mosis, uocatus (si tamen sic dicere licet) Magister & Grammaticus, exiit, certa forma literarum & sermone, quem Ebreum, ab Eber illo, non inventore ( Nam id Deo, ut dictum est, omnino ascribendum) sed celebratore, appellant, in reuelanda & propaganda laude & gloria Dei perscribi ceptum: Duravit haec scribendi & loquendi ratio in populo Dei, quem Deus, ceu custodem peculiarem pentateuchi esse uoluit. Verum illae cum exteris gentibus collusiones, & post in Babyloniam & aliò crebriores migrationes, fecerunt, ut vulgò sanctum illud Ebraeum dicendi genus nonnihil ab origine sua, & scriptione & dictione deflecteret. Vnde secundum Genus sermonis, quod vel Syrium,

P R A E F A T I O.

vel Chaldeum nominatur, sub primam & secundam Monarchiam, natum. Atq; postea etiam singulae Monarchiae, singula sua Idiomatica, à præcipua sede, in linguæ usu peculiari, sic Græci Græcum, latini latinum, celebria reddidere. Quo factum est, ut post Ebræum & Chaldeum sermonem, Græcus, & post hunc latinus, quatuor etiamnum, præcipua, sint linguarum genera, quæ & habentur & sunt antiquissima, & scitu cognituq; pernecessaria. Et quanquam, Satana ita volente, in mundo subinde ingentes fierent motus & contunderentur colliderenturq; regna & imperia: Homines vel è suis pellerentur sedibus, vel in aliorum impetum facerent regiones, miserrimeq; corruerent regna, ideoq; variè confunderentur omnia, summa imis miscerentur, hincq; nascerentur infinita quodammodo loquendi idiomatica: Deus tamen in illis tantis perturbationibus rerum, pro sua immensa misericordia, sapientia & providentia, mirando modo, Ebræam, Chaldeam, Græcam, & latinam linguam, libris conscriptam semper conseruauerit & adhuc conseruat integras. Ut hæc linguæ essent cæu norma & regula aliarum omnium, atq; ex his, cæu fontibus, in alias linguas, transfunderentur quasi, libri plurimi, continentés doctrinam de Deo, leges honestas & utiles, Medicinas salubres, & etiam alias dicendi, recteq; nimirum tractandi & secandi res omnes, artes & scientias. Vnde etiamnum, singulari beneficio Dei, extant sacra Biblia, Ebræa, quæ in Græcum, plusquam regio sumptu, Ptolemei Philadelphi, immortalis memoriæ Regis Ægypti primum versa sunt sermonem. Nam Iosephus ille Filius Gorionis, in Iudaica historia, illos regio sumptus, per partes numerat, quos si licet æstimare, conficiunt illi quidem summam, superantem quinquaginta milliones auri

vel

PRÆFATIO.

vel si quis magis Latine dicere vellet, conficeret illa summa, supra quinquagies millena millia aureos, vel si libet quingentes centena millia aureos: summam, inquam, nulli unquam, omnium regum, gentium & temporum, quod ego sciam, annuo reditu seu proventu, parem. Hos ille immortalis Heros sumptus vel in solam veteris instrumentum, viginti quatuor libris comprehensum, fecit, quid non erat factururus, si etiam novum Testamentum, & sic integra illi contigissent Biblia? Tum itaque primum, inquam, Ebraea Biblia, facta sunt Græca, cui volumini accesserunt reliqui libri novi Testamenti, Græca lingua conscripti. Hinc etiam tota latina Biblia, siue illa Hieronymi siue alterius cuiusdam opera sint traducta, veteris versionis nomine, vocari solita.

Atque ita non solum extant Ebraea, Chaldaea, Græca & latina Biblia, quæ magno cum totius Christianitatis commodo, cuius vel mediocris fortune homini, tolerabili precio habere licet: sed prostant etiam nunc hoc sæculo sacra Biblia, Germanica, Hispanica, Gallica, Italica, Vngarica, Boemica, Polonica, Ruthenica & Moshovitica lingua. Solis verò nostris hominibus Carniolanis seu Slavis in sua dialecto, hoc tantum beneficium, nondum licuit habere integrum, Nam etsi Reuerendus vir D. Primus Truberus, Novum Testamentum & alios idoneos libros, idque, uti iam memini, Dialecto quoque Carniolana, & diligenter & dextre, ex suis & puris fontibus ante hoc tempus traduxit: tamen cum eum virum, iam senior ætas egraque senectæ premat viribusque destituat, opus fuit per alios, id quod integris Biblijs adhuc defuit, atque ad traducendum reliquum, pertexere, atque integra Carniolana vel rectius Slavonica Biblia ædere. Apparuit itaque hæc



P R A E F A T I O.

*stros homines Dei Gratia. Illuxit illa leta dies, qua, etiam Carniolanis & Slavis, Deum ipsum, Patriarchas, Prophe-  
tas, Apostolos & Evangelistas, Carniolana lingua loquen-  
tes, videre & audire licet. Pro qua tanta clementia & bo-  
nitate, uni aeterno Deo sit laus & Gloria in omne aevum,  
Amen,*

*Verum enimvero quoniam apud quosdam vel parum  
prudentes vel minus humanos, quicq; mundum ipsum nimis  
angusto spacio contineri putant, utpote, non longius ex  
patrijs sedibus unquam egressi, aut si id fecissent: tamen quid  
alibi sit vel fiat non multum solliciti, de Slavonica nostra  
lingua, praeter pietatem etiam iudicant & pronunciant,  
proindeq; me, de Slavis, ut obscuris hominibus, temerè quid  
dicturum opinabuntur. Quare hoc loco altius rem ipsam  
sed brevissimè repetendam duxi. Complector autem Slavico  
nomine, non aliquam, obscuro loco latitantem & certis il-  
lisq; perangustis finibus inclusam gentem. Sed appello &  
complector eo nomine, quotquot regiones & homines, vel  
Slavicè loquuntur vel, ut plurimum verbis conveniunt, siue  
affinitatem cognationemq; aliquam habere cum Slavica lin-  
gua manifestè deprehenduntur. Quotquot autem hacten-  
us historias conscripserunt, & in eis gentium origi-  
nem & mores rimati sunt, omnes in eo consentiunt, He-  
netos, Venetos seu Venedos, VVindos, VVandalos & Sla-  
vos, eandem & unius eiusdemque esse originis, gentem.  
Siquidem quodcumq; illi genti, ex iam dictis, dederis nomen,  
idem significare deprehendes. Nam omnia haec epitheta,  
& frequenter & sepe mutatis sedibus illis conveniunt, solum  
postremum, Slavorum Epitheton, à rebus praclarè gestis,  
genti huic merito suo obtigit. Nam, Slava, nostris homi-  
nibus,*



## P R A E F A T I O.

nibus, *Gloriam* significat. hinc *slavi*, quasi *laudabiles*, celebres, & *clari* dicuntur. Siquidem *Etymon* vocis nusquam quis rectius divinauerit, quam ex cuiusque gentis propria lingua. Quod qui non observant, *Hallucinantur* sæpè plurimum. Documento nobis esse possunt multa. Et ut unum pro multis proferam. *Divinare* enim multi cupiunt, quid *Germanis* rectè significet dignitatis illud & celebre nomen, *Marchschaleh*. Quæ in re mihi per optimè placet, doctissimi viri *Doctoris Jeremie Hombergi*, non fallens conjectura, qui dicit. *Veteribus Germanis*, vocem, *shaleh*, significasse, *ministrum*. Quod cum ita sit, quis igitur dubitabit, *Marchshalch*, idem esse quod *administratorem finium*. Nam ex historijs scimus, *Marchias* fuisse magno consilio præfinitas ad compescendos cobibendosq; in *Germania*, etiam nostros homines, tum adhuc *Ethnicos*. Ut itaq; finibus continerentur certis, *Marchiæ* seu præsidia constituta: hinc *Marchia* in *Dania*, *Brandeburgi*, *Mysniæ* & *Turingiæ*, &c. Ex unica itaq; vocula, *shalch*, quale fuerit officium, & qualis dignitas *Marchschalchorum*, apparet, idem nimirum, quod *administratorem finium*: Hinc etiam summa illa dignitas inter *Principes imperij*, *Archmarschalchi*, quod ipsum, insignia, quibus ornatur, gladijs nimirum decussatim positis, eum principem esse primum inter eos, qui finibus, siue præsidijs præsunt, ostendunt. De priori parte vocis non multum est quod disputem, aliquid est superioribus sæculis condonandum, cum aliàs summa virtute & prudentia rectè omnia in *Ciuli* vita administrarent, etsi in appellationibus verum nonnunquam monstris verborum (nec meliuntum à suis magistris edocti) etiam in magnis rebus sint usi.

Nihil

P R A E F A T I O .

Nihil sanè opus fuit *græcas cum germanicis vocibus miscere*: *Græcum* (ut arbitror) *Archi posteriores*, per *Erk* / reddebant: Hinc veniunt *Erk*bischopff/*Erk*marchschalch/*Erk*herzog/ &c. quam benè, alij viderint. Nunc usu receptis utendum est, *Arq;*, ut ad nostrorum hominum appellacionem, *Slavorum* scilicet, redeam. Quemadmodum enim, *Germanis* seu *Alemanis* nomen inde impositum, rectè quis dixerit, quia fuerint *gar manne* vel *alle manne*, id quod *Carolo* etiam magno placuisse, legitur: Sic quoq;, qui *Slavos* à *SLAVA*, voce scilicet *Gloriam* significante, appellat, non peccaverit. A præclare igitur rebus gestis nomen accepisse *Slavos* obscurum non est. At id nomen non erat inane apud nostram gentem. Nam uniuersæ & omnium temporum *Historiæ* testantur, eam gentem, propter bellicas virtutes, fuisse præclaram & multis alijs gentibus formidabilem. Et alicubi pater eloquentiæ, *Cicero*, id non dissimulat, inquit. *Dalmatæ* semper habitati sunt bellicosi. *Neg;* enim *ὀμόγλωττον* gentem à nostra disiungo. Et quamquam quidam à iactantia, nomen venisse nostris hominibus dicere ausint: Tamen non desunt doctissimi viri plures, illiq; etiam *Germani*, qui, id, genti nostræ præter meritum, odio saltem affingi affirmant, verba cum rebus sibi rectè conuenientia ex perpetuis & veris historijs perspicientes, Quid verò mirum, si quis egregiè & præclare, eaq; vel à se vel ab alijs facta, silentio non præterierit, aut humili & proletario sermone rectè & pro dignitate non tractauerit? De *Tauris*, enim *Arator*, de *ventis* *Nauta*, & de *vulneribus* miles rectius verba facit. Nec iactantiæ criminis statim ille in simulandus, qui rem præclaram, vera narratione persequitur. Num  
quis

3

P R A E F A T I O .

quis autem somniabit, tantam gentem, tamq; numerosam, sine  
 iustia atq; sine præcellenti sapientiâ, in bello regi coherceriq;  
 potuisse; vel etiam sine dictis præcipuis alijsq; bellicis virtua-  
 tibus, tot & tanta, tamq; diuturna & continua, per vniuer-  
 sum ferè orbem perficere bella potuisse? Demum, quæ tam  
 excors gens vnquam fuit, vt turpitudinis seu vitij nomen volens  
 sibi usurparit, aut imponi sibi ignominia nomen passa fue-  
 rit impunè?

Iam si primam originem & vetustatem Slavorum quis  
 inuestiget, is inueniet, eam gentem esse antiquissimam. Nam  
 in expeditione illa Græcorum aduersus Trojam vocati Hene-  
 ti, in auxilium græcis vicinis, venerunt. Et si temporum ratio  
 rectè subducitur, planum fit omnino, Bellum Trojanum ge-  
 stum fuisse, plus minus mille annis à Diluuiò. Efficitur itaq;  
 nostram gentem inter antiquissimas esse. Hùc etiam accedit,  
 vnus & idem & quidem communis nostris hominibus, cur-  
 antiquissimis ὀμωγλώτοις Mysis, quos nunc Bosnenses  
 appellant, linguae vsus. Retinent enim adhuc Mysi litera-  
 turam antiquam & peculiarem & nostræ linguae per ac-  
 commodam, cum Græcis, vt potè vicinis, per omnia ferè con-  
 gruentem & cum Moshovitis & Rutenis communem. A  
 quibus Croatæ sua scriptione & notis literarum quidem  
 discedunt: at appellationibus & potestate, quemadmodum  
 & sermone (ut paulò post ex certis tabellis apparebit) non  
 dissentiunt.

Quantum verò ad amplitudinem Slavicae linguae at-  
 tinet. Circumferamus nunc licet oculos, & quaqua versum  
 respiciamus, perlustremus Regna, alloquamur gentes  
 ὀμωγλώτας, inueniemus sanè, Slavicum dicendi genus,  
 diffundi



## P R A E F A T I O.

diffundi per maximam mundi partem, si non per uniuersum orbem. Nam, ad Meridiem, totum exierunt illam Sinum Adriaticum, qui etiam ob id sinus Venetus appellatur. In quo sita est insignis illa Vrbs Veneta (à nostra gente sic dicta) amplitudine, felicitate, prudentia & diuitijs, in hoc tempore omnibus veteribus siue Græcis siue Latinis Rebus publicis (Romanam illam, olim mundi Dominam, semper excipio) longè superiorem. Eas enim in partes, Duce Antenore, à Trojano bello, venerunt primum. Quod indicio est, Patavium Celebratissima, totius Europæ, Academia, Venetorum ditioni parens, ab Antenore & condita & appellata vrbs. In Affrica ipsa etiam, in qua olim sedem & imperium, Slavi sibi pararunt, non desunt, qui adhuc Slavicè loquuntur. In Asia, præter Urbanos & otiosos nimirum homines, quiq; perpetuò domi desident, & in Græcorum partibus sunt, illi Græcè loquuntur. Reliqui omnes, tum in Aula Turcici imperatoris, prætoriani videlicet milites, quos Ianizaros appellant, tum qui militant, omnes illi inquam, nostra lingua loquuntur, forma literarum, quam in peculiari tabella expressi & Cyrilicam appello, omnia perscribunt. Estq; hæc nostra lingua in Turcico imperio adeo celebris & vsitata, ut patriam & Turcarum linguam celebritate & usu ferè obscurarit. Ad Arctum & sub Arcto ipso, sunt Moshi seu Meshovitzæ & Ruteni, omnesq; illi, quos Ptolemeus Venedicum Arcticum sinum occupasse scribit. Inter hunc autem sinum Venedicum & Venetum Adriaticum sinum, medij sunt Litvani, Poloni, Bojemi, Lusati, uel VVendi, ad vtramq; Albis ripam: Moravi, VValachi, Rascij & Bulgari pleriq;. In Austria verò magna pars est

scdibus



P R A E F A T I O .

sedibus, sunt à Tyranno Turca pulsi, vltra citraq; Danu-  
 bium sunt, qui exercent terram & agros. In inferiori  
 styria magna pars: Inde in specie dicti Slavi (vulgo Besja-  
 hos appellant): Et paulò infra, tota Poshega: Tota Car-  
 niola nostra, & magna pars inferioris Carinthiae: Cho-  
 rusci, Histriani omnes, attingentes eam urbem, quæ Po-  
 la dicitur, Venetis parens, ab Argonautis, vt Strabo refert,  
 condita. In his inquam omnibus Regnis & eorum parti-  
 bus populi, Slavi sunt & Slavice loquuntur atque adeò à  
 mari ad mare, vno eodemq; genere sermonis, Slavico vide-  
 lictet vtuntur. Hos autem omnes, si quis, propter illum  
 aliquem, in pronuntiatione & scriptione c'flexum non esse  
 ὁμογλότῆς, vel Slavos, concedere velit. Is mihi nulla  
 alia firmiore ratione id facere videbitur, quàm si Germa-  
 nicæ linguae, saltem Mysnicos, Sueuos, & his vicinos  
 gnaros, alios verò, vt sunt Belgæ & Saxones, hisq; pro-  
 ximos, ignaros esse autumaret. Cum verò hos omnes  
 & Germanos esse, & communis etiam patriæ nomine,  
 propter communem, scilicet usum linguae, eos digne-  
 mur. Cur non quoq; pari ex causa nominatas gentes, &  
 à veteribus Henetos, Venetos, VVindos, vel VVendos dictos,  
 Slavos quoq; appellabimus? Minus ferè inter has omnes  
 Dialectos, pronuntandi ratio discrepat, quàm vel in-  
 ter Mysnenses, Saxones, vel Belgas. Neq; hoc verò ad  
 commendationem Slavice linguae parum facere videtur,  
 quòd non tam extra quam intra Germaniam, Regno-  
 rum, Principum, Equestris ordinis Veterum Fami-  
 liarum, Ciuitatum, Fluminum, & Pagorum etiam  
 appel-

P R A E F A T I O .

appellationes , Slavicis vocibus sunt insignite. Moshi , à Mosh , quod virum significat appellantur. Rutheni seu potius Russi , volunt , quasi Rossiojani , id est , disseminati , dici. Poloni à pojle , hoc est , à campo nomen habent. Bojemi ab Boj , quod bellum notat , dicti , unde etiam Bavari , id est , Bojari vel Vojari , id est , duces. Moravi à flumine , Morava , Imò Vngaris adeo etiam adhibuit Slavicus sermo , ut olim Tetrarchas suos . Vojvodas ( ad verbum Germanicè Hertzog gen ) , hoc est , exercitus duces appellarent. Vulgo corruptè dicunt , *Войва* . Erant autem illi , ni fallor , Vojvode seu Tetrarchæ in Regno Vngariæ , dum adhuc esset integrum , in Transsylvania vnus , qualis fuit Huniades , verè Vngaricus , Achilles , Matthiæ Regis pater . Alter in Sepusio , Tertius in VValachia , Quartus in Rascia . Vrbs illa quoq; , ubi Sauus cum Danubio conflunt , sita , Alba Græca , Germani , Griechisch Weissenburg / vocant , Henetum habet nomen . scilicet , VVelgrad . Pomerani quoq; nomen habent à primorjii , quasi dicas marini seu accolæ maris . Hinc Duces Pomeraniæ vocantur , eius regionis Domini . Duces Megapolenses & Henetorum sunt Duces , & ab StariGrad , quod veterem arcem significat , sede , videlicet , munita nomen habent . Quemadmodum & magnus ille Dux Moshus , sedem suam præcipuam etiam eo nomine StariGrad , appellat . Et Turcici Imperatoris sedes Constantinopolis , Zar grad , hoc est , Cæsaris arx dicitur . Metropolis quoq; vrbs Styriæ , Graz corruptè , rectius Gradex , id est , Arx , vocatur . Marchiones Brandeburgenses Slavorum seu Vandalorum , sunt Duces : Et Illustrissimus Saxonie Princeps , Elector , plures Ecclesias & alit & defendit Clementissime , Slavico Idioma te utentes , Clarissima ciuitas Lypsia , non solum mercibus

isthis

10

P R Æ F A T I O.

isthic ex longinquis terris deponendis, dandisq; ceu Empori-  
 um illarum Regionum sed etiam omnium optimarum artium  
 & pietatis studijs florentissima, Illustrissimo Principi Augu-  
 sto Electori & c. parens, Slavicum nomen etiamnum retinet.  
 Nam à lipa, quod omnibus Henetis seu Slavis, Tiliam arborens  
 Germanicè, Linden, significat, nomen habet. Fortasse ideo,  
 quòd locus ille Tilijs abundaret, dicta. Chemncium civitas,  
 cum excitatissimis ingenijs plurimis tum, vel Georgio Fa-  
 bricio, pie memorie, & D. Martino Chemncio clara, nomen  
 habet, à kamen, quòd lapidem significat, hinc Kameniza, quasi  
 lapidosa dicta, Medio itinere inter Iypsiam & VVitteber-  
 gam Castellum est, quod vulgo, Dûben, appellatur, nomen ha-  
 bet à, Dub, quod quercum significat. Hinc Dubina, Querce-  
 tum. Iam verò ad Ripam Albis fluvij accedamus, quæramus  
 qualia referant nomina accole. Recitabo verò hac in re non  
 meas tantum coniecturas. VViteberga, toti mundo non ignota  
 ciuitas, si penitus rem expendamus, hoc, quod nunc habet no-  
 men novum & serè corruptum esse videtur. Nā si ab Albo mon-  
 te nominatur, ut ex Saxonico Idiome appellari videtur. Non  
 video cur non potius Schwartzberg dicatur. Nam nullus isthic  
 mons est, neq; Albus neq; niger, cum sit in planitie ea vrbs  
 sita. Quare verisimilis magis est eorum coniectura, qui belis  
 Brud hoc est, Album traiectum vel Beli Breg, ut sit Alba ripa.  
 eam urbem appellari existimant. Nam à Traiecto, qui olim  
 & ante usum pontium isthic erat celebrior alijs, sive ab Alba  
 ripa, qualis eo loci conspicitur, nominari rectius videtur. Simi-  
 lem ob causam, si contra flumen Albim altius concesserimus,  
 occurrent nobis statim, Preim, & Prezh, quæ ab Traiectis  
 nomen habere etiam hodie deprehenduntur. Hinc Torga, quæ  
 à Terg, quod forum vel Mercatum vel Castellum significat,  
 haud dubiè, dicitur. Et ut reliqua præteream, accedamus vr-

\*\*

bens



PRÆFATIO.

*bem veterem, Misniam dictam, quæ toti Marchiæ nomen dedit: & etiam, Episcopali & Marchionis, totius illius regionis. sede, clara est. Unde id nominis venire urbi ariolabimur? Ex Slavica lingua, id venari oportebit. Iam si a Majzen, quod paruum significat derivabimus, nomen & urbi & regioni toti non conveniet, præcipuè tam antiquæ & etiam celebri. Fortassis à MISNI, quod Urbanum significat, non incongruum nomen esse urbi quis dixerit. Nam, Mestru, urbem Henetis significat, hinc Epitheton. Mestni, Urbanus. Si itaq; licebit nobis unicam literulam, vel excludere vel mitigare enunciatione, apparebit à Mistnis seu Misnis, hoc est, Urbanis, rectè, per excellentiam, eam urbem & etiam totam regionem, suum genuinum retinere nomen. Atq; in hac coniectura si quid peccavi, ignoscant, veriora & rebus magis consentientia, qui, quod proferant, habent. Talia plurima sunt ad ripam Albis fluvij & in tota Misnia, quæ, cum antiquiora, quàm quæ à nostris hominibus illis olim imposita sunt, non habent nomina: Colligitur facillè, eas regiones olim à nostra gente, non modò occupata fuisse, sed & posteros illic reliquisse. Qui quidem mutato idiomate, vulgò quidem germanicè loquuntur, origine tamen verè sunt Heneti. Cæterum quantum referat in omni vitæ genere & in contractibus omnibus, imò & præcipuè in rectè proponendâ de Deo vera doctrina, gnarum esse linguæ eius gentis, qua cum agendum cuiquam est, id, me tacente, quivis facillè intelligit. Cumq; hæc Slavica lingua sit patentissima, & sese, etiam in magnam & præcipuam partem Germaniæ effundit. Non sunt itaq; reprehendendi illi, qui aliquid studij eò conferunt, ut eam linguam conseruare & propagare, atq; adeo etiam illustrare, cupiunt. Quam rem altius expendens olim CAROLVS, eius nominis Quartus & Boiohemorum, &c.*



PRÆFATIO.

Rex, Romanorumq; Imperator, leg. peculiari, AVREAM  
 BVLLAM vocant, haud dubiè maturo consilio atq; unanimi  
 omnium statũ & Principum totius Romani Imperij consen-  
 sione, sanxit, vt posthac Electorum etiam filij, inter præcipuas  
 linguas, Slavicam quoq; addiscerent. Peroptimè intellexit  
 sapientissimus ille Imperator, Electorum filios Slavonicæ lin-  
 guæ cognitione difficile carere posse, Cum nimirum pleriq;  
 Principum, eius sermonis populos sibi subditos habeant. Re-  
 ctius enim sit iudicium & magis iuste sæpè pronunciatum,  
 quando Iudex ipse, causam & audit & intelligit, quàm qui  
 id facit per interpretes. Cum verò idem ipsum etiam ad pa-  
 tesfaciendam gloriam Dei & ad propagandam Ecclesiam  
 Christi, per necessarium sit. Quid non faciendum erit, non  
 tam excelso loco natis, quàm etiam alijs, tum mediocri-  
 bus tum etiam plebeis hominibus, qui ad seruitutem & non  
 ad dominatum nati sunt. Idq; non solum in vno & eodem  
 & certo, sed prout res & tempora cum fortuna tulerint, eti-  
 am in incertis & diuersis locis. Iam autem haud quaquam  
 prætereunda est landatissimi illius, iam dicti, imperatoris  
 CAROLI QVARTI Insignis & immortalis, erga ge-  
 nus Slavorum pietas & amor. Nam posteaquam edoctus  
 fuisset, Gentem Bohemorum à Slavis trahere originem, id  
 tantopere optimus ille princeps sibi arripuit & cordi esse  
 passus est, vt non quiesceret, quin AEdem, Pragæ, divo Hie-  
 ronymo Stridonensi, nostro Gentili, consecraret. Viq; æterna  
 esset & permaneret memoria, gentem eandem esse, & Slavos  
 & Bojohemos, voluit etiam ut & homines Slavi & in Slavi-  
 ca lingua, cultum isthic perpetuò obirent & perficerent di-  
 vinum. Cuius tanti Imperatoris, prudens & pium Institu-  
 tum, Vtinam hodie plures imitarentur & non tam gentem  
 nostram, quàm Ecclesiam Christi odio, sed potius omnibus  
 pietatis

## P R A E F A T I O

pietatis officijs , prosequerentur , nihil laboraremus. Sed de  
 Slavica lingua desinam nunc plura annotare. Nam mihi du-  
 bium non est, quin optimus quisq; huic meæ & simplici &  
 veræ narrationi sit assensurus atq; mecum pronunciaturus,  
 gentem Slavicam & antiquissimam & amplissimam, per to-  
 tum forè mundum diffusam, nec etiam ita abiectam, sed inter  
 honoratissimas Iure haberi debere, Eiusq; linguam non mi-  
 nus quam ullam aliam cognitu esse pernecessariam. Reli-  
 quum est, ut de hoc meo parvulo libello, pauca adhuc memo-  
 rem. Ut itaq; & ego, meo loco, ad promovendam Slavicam  
 linguam, aliquid adiumenti adferrem, cœpi hinc occasionem.  
 Nam cum Illustrium, styriæ, Carinthiæ & Carniole Theo-  
 logi & alij delecti Viri, de traducendo & edendo Carniolano  
 Biblico opere, superiore anno deliberarent, atq; inter cœtera,  
 de certa aliqua, posthac observanda literatura LatinoCar-  
 niolana statuerent. Et ego, jubentibus proceribus Carniola-  
 nis, Dominis meis Clementibus, illis annumerarer viris, tum  
 id muneris mihi impositum fuisse, non dissimulabo, ut de Or-  
 tographia latinoCarniolana, meas tum adhuc in medium  
 propositas nec etiam improbatas quasdam observationes, ius-  
 to ordine conscriberem, ad quarum normam posthac rectius  
 magisq; cum ratione, latino caractere ( quandoquidem iam  
 usus illius antiquæ literaturæ, Cyrilicæ nimirum & Glago-  
 liticæ, in Carniola nostra ferè intercidisset, ) perscriberetur  
 Carniolanarum & his proximū & affine per totam Carnio-  
 lam, Styriæ & Carinthiæ, majorem partem, usitatum idioma.  
 Viris illis & pia & honesta monentibus, & sæpius etiam fla-  
 gitantibus morens gessi, huicq; rei manum adjiceres cœpi.  
 Verum, dum hoc vnicum agere instituo, animo meo præter  
 institutum, me ulterius rapiente: eâdem opera, de reliquis  
 Grammaticæ partibus, ex communi usu rectissimè loquendi,  
regulis

10

P R A E F A T I O.

regulis depromptis, atq; in certam quandam methodum co-  
 adlis, totam rem Grammaticam Carniolianam, paruo hoc meo  
 libello comprehendere volui. Quæ res cum non temerè neq;  
 privato, sed communi delectorum virorum, ut dixi, & nomine  
 & consilio suscepta sit, reprehensione carere, multo verò mi-  
 nus ambitionis, me, quis ideo accusare debet Iure: cum &  
 rem tenuem in specie, sineq; meo compendio, & studio solum  
 iuvandæ & illustrandæ linguae patriæ susceperim. Videbitur  
 quidem quibusdam res & persæcilis nec magni ingenij. Illis  
 ego tantisper suis eiusmodi cogitationibus, ut in dulgeant, li-  
 bens permittam, donec ipsi quoq; melius quid, vel in hac, vel  
 in alia, nondum exculta lingua, & tentaverint & protulerint  
 perfectius. Requiritur etenim etiam in hoc conatu, aliqua tam-  
 en solertia & iudicium minimè fallens. Accommodavi autem  
 totum negotium ad usitata latine literaturæ præcepta, adeo,  
 ut etiam communissima non excluderem exempla, sed illis,  
 ipsis, quibus Philippus Melanthon, Vir incomparabilis pie  
 memoriæ, præceptor meus perpetuò observandus in suis  
 Grammaticis usus est, ipse quoq; uterer. Idq; eam ob causam,  
 ut ex iam usitatis & optimè notis insignemq; doctrinam con-  
 tinentibus exemplis, ignoti ratio illucesceret magis; In qua re  
 etiam, & præcipuè in Syntaxi, interpretem saltem egi: inte-  
 rim tamen nihil neglexi, imò vnicè annisus sum, ut nominatis  
 terminis, vel concordiam vel regimen Syntaxeos ostenderem  
 semper. Nunquam verò dissimulavi, in quo Carniolana lingua  
 à latina divortium faceret. Bona enim me spes habet, ut, ferè  
 optimusquisq; (modo diligentius examinaverit rem) libenter  
 fateatur, me, ad rectius & loquendum, & scribendum Carnio-  
 lanum sermonem, aliquid adiumenti attulisse. Ad vos verò  
 ingenui juvenes, Illustrium nimirum Styriæ, Carinthiæ &  
 Carniole procerum, & vniuersi Equestris ordinis filios, venio,



## P R A E F A T I O.

vobis inquam & vestris hominibus, hanc meam, &pellam consecro. Neq; enim hoc munusculum, vobis dedecori est futurum. Nam & novum est & ad illustrandam linguam Slavicam (quam cum multis gentibus & regnis communem nos habere & scitis, & ex vera mea narratione praecedenti, intelligere persacile potuistis) profuturam. Deinde cum Bulla Aurca Electorum filijs, Slavicam discendi linguam necessitatem imponat. Vos etiam, ut eam illustretis, singulari ornamento vobis futurum id esse, vobis persuadeatis, Vestris vero hominibus, quorum estis hereditaria successione fidei πατριες futuri, hae in re estis calcar addituri, ut posthac in hoc elaborent, ut quam cultissimè & rectissimè scribant, et scripta ipsa Slavica legant, oblatamq; divino nutu, in æditis iam Biblijs Slavicis, occasionem, non sint neglecturi: Verum plebei etiam homines uestri, brevi tempore, in percipiendis Elementis Slavicis, in sumpto, in tantum sint profecturi, ut, expeditius, sua lingua, sacra Biblia & legere & intelligere facile queant, Quam rem unicam cum spectauerim, atq; hunc qualemcumq; susceperim laborem, ut videlicet hoc, quod iam dixi, apud plebejos quoq; homines efficere: sic vos illustres atq; ingenij Iuvenes posteritatis optima pars spesq; post deum, optima, nequaquam in vobis desiderari patimini, quin nostra etiam lingua confiteatur Domino. Insistatis, per D E V M immortalem oro, parentum atq; maiorum vestrorum laudatissimis vestigijs, quibus nihil prius neq; antiquius fuit unquam, quam ut pietatis & liberalium artium studia, patrius honos & gloria, Virtute & sanguine maiorum vestrorum parta, apud vos, charam posteritatem, manerent integra. Hoc tam insigne depositum, agite quæso apud vos pari cum laude & emolumento omnium, etiam conservetur. Modum verò & rationem, quibus id fieri & debeat & possit, habetis præ oculis, parentum scilicet vestrorum, viva  
 exempla



13

P R A E F A T I O.

exempla, Hoc ut cogitatis, hoc ut in ore habeatis semper, hoc ut unice agatis, vos oro atq; obtestor omnes. Deinde est, quemadmodam dixi, parentum vestrorum, & Domi vestrae nata illustria habeatis exempla: tamen non obest, quin etiam, propinquorum vestrorum praeclare facta, vobis quoq; usurpetis. Proponatis verò vobis, licet, ad imitandum, ut optimos quosq; sic nunquam satis laudatos & illustres duos Heroes, Franciscum Comitem de Turri, Liberum, in Sancta Cruce, Baronem, &c. Dominum Lipnitzij & Teüzhenbrodij, &c. Tum quoq; Sigismundum ab Herberstein, Liberum in Najdperg & Guetenbag, &c. Baronem, felicitis memoriae. Quorum hic ab iuente aetate, ut studia literarum coluit & amavit praecipue, sic ad ultimum usq; vitae suae letum exitum, eas prosecutus est & semper fecit maximi. Interim verò in Aula clementissimorum Principum nostrorum, Austriacorum Archiducum, sub quorum suavissimo & Clementissimo iugo nobis vivere licet, summa obijt munia. Neq; verò domi solum profuit, sed etiam longas & difficiles, in longinquas peregrinasq; terras & regiones, non semel easq; diuturnas suscipiens profectio- nes, Maximiliani primi, Ferdinandi primi, tum quoq; Maximiliani secundi, sanctae recordationis Romanorum Imperatorum Orator & Legatus, in Italia, in Gallijs, in Anglia, in Turcia, in Polonia, in Moshovia, & etiam in Germania, res gravissimas atq; universae Christianae Reipublicae fructuosissimas, summa cum laude atq; ex animi Imperatorum dictorum sententia, confecit. Sibi ideo suisq; totiq; adeo patriae laudem paravit aeternam & scriptis etiam monumentis sibi nomen peperit immortale. Prior verò Heros Comes Franciscus: pari gloria, in nostrorum Archiducum Austriacorum Aulis & Regijs, summis honoribus & dignitatibus fungens, ita aetatem egit & negocia curavit maxima, ut, vter horum Heroum,

(si

P R A E F A T I O .

(si emulatione certandum esset), confecerit plura dubites: In hoc vero elaboravit vterq; ut magno animo, præcipua, illis concredita munia qua fieri id non potest maiore fide, & dexterritate conficerent omnia. Nec verò interim neglexerunt, quin patriæ meritis laudis essent acerrimi vindicæ. Cuius verò rei cum plurima reliquerint documenta, tum hoc quoque non est in postremis habendum. Quod posteaquam prodiret descriptum illud diploma, seu si dicas immunitas, seu priuilegium ab Alexandro, illo magno Macedonam Rege profectum, qua Slavis, ob egregiam, in domando mundo penè uniuerso ipsi nauatam operam, potestas sit occupandi, & in Meridie & in septentrione potissimas Europæ partes: Non cessarunt illi duo Heroës, & patriæ gloriæ assertores ingenui, quin sedulo rem investigarent, donec tandem in Collegio Pragensi, res prius dubia, literis non fallentibus, ibi, ita, ut est deprehensa, omnibus nota fieret, typisq; procuderetur. Sic illi Magnanimi viri, vobis quoq; exemplo esse possunt, ut pro se quisq; & certatim in id incumbatis, quo pietas, literarum studia, tum etiam Gloria auita maiorum vestrorum, ad posteros peruenit, etiam vestro exemplo commendabilior. Quibus omnibus & singulis, huius novi anni letum exordium nec minus progressum, exitum verò letissimum per & propter Emanuelem nostrum Iesum Christum, ex animo precor. Me etiam atq; etiam demisso animo commendans. Datum VVitebergæ in Saxonia. Ipsis Kalend. Ianuarij: Anno, CIO IO XXCIV.

V. Illust:

deditus

Adamus Bohorizh.